I N

ALOISIUM XVI.

GALLORUM REGEM

ORATIO

FRANCISCI VILLARDI

VERONENSIS

PHILOLOGORUM VICETINORUM

SODALITATIS PRAEFECTI.



VERONAE

EX TYPOGRAPHIA MERLIANA

MDCCCXVII.

PHILOLOGIS VICETINIS

FRANCISCUS VILLARDUS

S. D.

Aloisii XVI. Gallorum Regis virtutes, quae religionem sanctissimam summopere honestarunt, in eam me cogitationem perduxerunt, ut periculum facerem, utrum eas laudatione aliqua possem prosequi. At vero quo me acrius studium alliciebat meum ad id operis aggrediendum, eo magis rei difficultas ab eo suscipiendo deterrebat. Verum religionis amor, cujus vis in Aloisio mirandum in modum enituit,

me tandem usque eo impulit, ut e portu solverem; et in hoc magno, ac formidoloso mari, ut ita dicam, remis velisque navigarem. Quare ut vires meae, sane exiguae, tulerunt, orationem absolvi; quam edituro nulla mihi dubitatio fuit, quo potissimum nomine inscriptam vellem. Vos enim, Academici Philologi Vicetini, (hoc est totius nobilissimae Civitatis vestrae flos ipse) vos ad augendam patriae gloriam decusque nati, qui me in pulvere scholastico, et umbratili otio delitescentem excitastis, atque ut in publicam lucem prodirem, Academiae vestrae praefectum creavistis, vos, inquam, Musarum Alumni, hujusce orationis nuncupationem jure optimo vobis vindicare videbamini. Nec vero hac tantum de causa; sed eo etiam vel maxime, quod non ita multis ante diebus, datis ad me pulcherrimis, atque honorificentissimis litteris, me etiam atque etiam rogastis, ut quod praefecti munus semel suscepissem, id etiam imposterum, honoris causa (cum nequaquam vestris conventibus praeesse possem) retinere non

reeusarem; tum illud me certiorem fecistis, vos discessionem meam aegre tulisse; et, ut honori meo quam maxime inserviretis, Antonium Portum comitem, ingenio et eruditione praeclarissimum in meum locum suffecisse, eum, qui in civitate proximam a priore obtinet dignitatem, et ad bonarum artium gloriam civibus suis maximo exemplo est, et incitamento. Vobis igitur, Philologi praestantissimi, orationem hanc dicare gaudeo; atque ita dicare, ut et grati animi, et voluntatis, et observantiae meae testificationem quandam vobis publiee exhibeam, et meis rationibus optime provisum iri confidam. Vos certe, quod ad linguae latinae eloquentiam instituerim viam insistere, consilium meum non improbaturos sat scio. Cum enim haec nostra aetas Morcellium, Lanzium, Bolognam, Schiassium, Melanum, Furlanettum, et Veronenses meos, Delbenem, Avesanium, Trevisanum, Manzonium, Caesarum, aliosque latini sermonis multo scientissimos tulerit; quid est, quod eorum exemplo inflammatus non me urgeam, ut vel

longo saltem intervallo eos persequar? Ad vos igitur alacri animo id munusculi mitto, illud vobis indubitanter confirmans; qui vos unice diligunt, et maximi faciunt, et a studiis vestris optima quaeque sibi certo pollicentur, iis me nunquam, ne tantillum quidem, concessurum. Valete.

ORATIO

Religio illa, quae discussis errorum tenebris, vitiorumque peste dissipata, omnes nationes eo perducere potuit, ut barbaros, atque efferatos mores exuerent, optimo cultu, humanitate, literis, disciplinis, omniumque virtutum gloria florerent, eisque patefecit ad coelum viam; religio illa, quam tamen impii, et conscelerati, homines delere quovis tempore frustra conati sunt, ac nostra quidem memoria, ingemiscente orbe terrarum, ferro atque igne petitam in Gallia vidimus, et Aloisii XVIII., qui majorum suorum virtuti veluti cumulus accessit, consilio atque opera tandem aliquando in pri-

stinum statum restitutam gratulati sumus; illa religio, nostrum omnium mater amantissima, cui nihil denegare par sit, nobis imperare quodammodo videtur, ut ad posterorum exemplum, illorum Heroum laudes celebrandas suscipiamus, quos perduelles Galli, Christi odio, de medio crudelissime sustulerunt. Nunc vero, cum inter eos, qui per id tempus digni omnium laudatione extiterunt, Aloisius XVI. is extiterit, qui praeter ceteros sempiternis laudibus celebretur, eum mihi potissimum deligo, in cujus virtutibus recensendis mea, qualiscumque futura sit, versetur oratio. Qua quidem de re cum illud cogito, eam esse, quae calamitosis omnibus maximo solatio esse queat; cum intelligant, quidquid mali patiantur, nihil plane esse ad id, quod maximus ille Rex perpessus est; eo quidem facile adducor, ut magno et certo animo id munus suscipiam: cum autem hoc considero, rem quam difficillimam esse, et longe facilius futurum, ut de hujusce Herois laudibus aliquid dicendo deteram, quam ut eas explicem, atque exornem; omnino inficiari non possum, me vehementissime commoveri. Quomodo enim in hac tenuitate ingenii, et eloquentiae inopia sim idoneus, qui tantum argumentum pro dignitate pertractare valeam? quomodo constanti animo, ac firma voce Aloisium ab altissimo fortunae, ac potentiae gradu dejectum, atque in saevissimos aerumnarum fluctus compulsum; quomodo a splendidissima regia exturbatum, et in carcerem cum sorore, conjuge, filiisque conjectum; quomodo ultimum cum suis congressum, atque colloquium; quomodo fatale dissidium; mortem denique persequar, quam ipsae etiam Parisiorum viae, tecta ipsa, ac moenia urbis deplorare

visa sint? Ut enim mihi satis esset ingenii, non is certe est animus, non ea cordis durities, ut id mihi fidenter sumere posse statuam; immo vero meam fateor imbecillitatem, fateor me tantis, tam implicatis, tamque infandis casibus referendis minime parem: ne dicam aufugere mihi animum, ac tantam rerum atrocitatem vel cogitantem, prae horrore concidere. Si Parisiis verba facerem, minus quidem id operis mihi formidandum putarem: cum enim aut me verba deficerent, aut mihi vox prae lacrimis intercluderetur; at saltem manu loca illa designarem, ubi Aloisius ad regni felicitatem omnes curas, cogitationesque contulit, ubi omnes benigne excepit, ubi miseros consolatus est, ubi se Deo, ac populum precibus commendare consuevit, ubi terrores ac minas invicta patientia pertulit, ubi sanguinem ipsum ac vitam, justitiae et religionis causa, profudit. Haec porro cum ostenderem, ipse locorum aspectus vel eloquentissimae orationis loco haberetur. hic vero, si me verba deficiant, quo me vertam profecto nesciam. Tu igitur, religio sanctissima, quae mihi onus imponis, vires item suffice; tu me tantis difficultatibus impeditum, atque constrictum expedi, ac dissolve; tu haerenti verba suppedita; tu accomodatas rerum vel magnitudini, vel atrocitati animorum perturbationes excita, ut qui audiunt, non mea me, sed tua vi loqui sentiant. Hac spe recreatus, ita ad dicendi munus accedam, ut memet me majorem praestem, difficultates exsorbeam, inter terrores verser interritus, misericordia, pietate, dolore, auditorum animos permisceam; quibus exhibebo Christianae patientiae perfectissimum exemplum, fortitudinis vero tantae ut supra nihil, ne fingendo quidem, possit

excogitari. Id nempe mihi ostendendum sumo: Aloisium inter adversa omnia ita esse versatum, ita mortem obiisse, ut vel inter ipsos, qui Iesu Christi fidem vita, et sanguine asseruerunt, jure optimo debeat recenseri.

Aloisii XVI. Gallorum Regis laudes mihi dicere incipienti, laeva quorumdam hominum judicia primum occurrunt, qui illos tantum, aut praecipue, reges in pretio habendos, praeconiisque prosequendos censeant, qui nomen suum longe, lateque rerum in bello gestarum magnitudine propagaverint. Quorum ego ab opinione ita dissentio, ut regem studiosum pacis, qui non otioso in otio subjectos sibi populos curet, qui religionem, artes, mercaturas fovere, atque alere studeat, et in deliciis habeat; vel iis ipsis, qui munitissimas arces expugnarunt, et regna florentissima subegerunt, longe anteponendum existimem. Qua de re si Aloisium celebrandum suscepissem, quam latus mihi ad dicendum campus pateret! Illud enim possem commemorare; ut pacis commoda propria Galliae conciliaret, summa ope curasse, ut quae foedera jampridem cum Austriaca Domo intercessissent, novisque in dies officiis, et amicitiae significationibus confirmarentur, ea majorem in modum confirmaret. quare ut praeclarissimum pacis vinculum inter duo regna obligaret, quae tam late imperium exercerent, quorumque nutu, et voluntate res totius Europae transigerentur, Mariae Theresiae Austriacae filiam, cujus virtutum fama ad omnes regias domos summa cum laude pervasisset, uxorem duxisse. Ut vero exultaret oratio mea, si haec Aloisii benefacta quaesitis undique eloquentiae ornamentis illuminare vellem: quo studio se se praestiterit aegenorum parentem, viduarum

praesidium, injuriarum vindicem, legum patronum, ac divinae religionis fautorem, a qua omnia bona cum in praesens, tum in posterum tempus manare certum sit! Quid? si id persequerer: quanta sedulitate totos dies, ac tempus ipsum, quod alii solatiis animique remissioni tribuunt, in sui muneris curas impendere consueverit; quanta judicum, et administrorum rationes exquirere, in eorumque sententias, atque consilia accurate introspicere, ut nunquam a justitia, atque integritate deflecterent: quanta dissidentium lites, saltem quae magni momenti, perpendere, sententiamque justitiae consentaneam ferre: sanctissimi Regis Ludovici memoriam saepe animo repetens, qui quovis tempore, etiam tum, cum se ad ferarum venationem in nemora contulisset, omnes ad se admittere non dubitabat, eorumque offensiones subtili pervestigatione cognoscebat, discordiarumque ignem extinguere studebat; rex idem, et pater, sive in solio sederet, sive in nemore sub fagi umbra, animi causa, conquiesceret. Quid? si haec singillatim colligere statuissem: nihil apud eum gratiam, nihil divitiarum, aut nobilitatis potentiam valuisse: justitiam, pietatem, misericordiam, ejusdem sibi animum, curam omnem, ac sollicitudinem vindicasse: cum regnum universum summa annonae caritate laboraret, ne quid avaritiae esset loci, omnia regni horrea perquiri magna severitate imperasse, et quidquid frumenti conditi repertum, in medium proferri; ad exteras gentium regiones terra, marique misisse, qui commeatus undique colligendos, atque in omnes regni provincias importandos curarent; frumento in pauperes distribuendo spectatissimos quosque praefecisse; non lucem denique ipsam, nec vitam ei caram fuisse, quin hoc

intellexisset, suos populos tanti infortunii, ac periculi incommodo relevatos. Quid denique, ut multa plane praeteream, si de hisce dissererem: Aloisium perditorum hominum exemplis contemptis, et illecebris superatis, carissimae conjugi fidem semper integram, atque inviolatam servasse; Dei, et Ecclesiae leges religiose veritum, nihil de jejunii severitate ne in venatione quidem remisisse, atque, ut multa in pauca conferam, splendidissimam regalem in aulam religiosorum hominum disciplinam intulisse: haec, inquam, si apposite perquirere, et exhaurire vellem, quanta mihi seges orationis succresceret! Quae scilicet attingere volui, ne quis sic existimet; me Aloisium adversis tantum in rebus contemplandum eo proposuisse, quod in anteacta ejusdem vita dignae laudatione virtutes desiderarentur. Hisce igitur hac de causa cursim quasi delibatis, propositam rem aggredior, quae quidem paulo altius est repetenda. Cum Gallia sub Borboniorum imperio octingentos amplius annos se se bene, beateque habuisset, seque ad gloriam, ingentemque potentiam extulisset; impii, qui a Christo descivissent, prava, ac nefaria ad regni perniciem, et Regis longe optimi exitium, moliri coepere, utque jura humana, atque divina, sacraque, et profana omnia possent polluere, atque evertere, vires omnes intenderunt; id nimirum existimantes, posse se hac ratione omnem Christi religionem radicitus eruere, atque prosteruere. Atque hic mihi illud monendi estis, auditores; caveatis, ne quae a me in Gallos dicentur, perinde accipienda esse existimetis, ac si in praeclarissimam nationem contumeliose invehi constituerim; quod quidem longe a veritate abhorreret; di-

gnam enim judico, quam omnes ornent laudibus, atque suspiciant. Nemo enim est, quin sciat, quam saepe Gallia pro re Christiana gravissima bella gesserit, qnam saepe ab Urbe Roma incendii, ac direptionis periculum depulerit; nemo est, quin sciat, quot splendidissima Ecclesiae lumina, quot egregios fortissimosque Reges, non solum verbo, sed etiam re Christianissimos, quot Pontifices maximos qnovis tempore tulerit, qui Ecclesiam Dei diligentissime procurarunt. Quamqnam nihil necesse est, vetera ad memoriam revocare. Quam enim multi Galliae pontifices, et sacerdotes nostra memoria, cum adversns impietatem restitissent; post exilia, post carceres, et innumerabiles aerumnas fortissime toleratas, Christi fidem sanguine obsignaverunt! Quapropter quidqnid in Gallos pro veritate dixero, in eos tantum dictum accipite, qui nefariae philosophiae tamquam praestigiis, ab omni non solum religione, verum etiam humanitate abalienati, foedissimam crudelitatis notam humano generi inusserunt. Nihil sane in lucem efferam, quod non ab Gallis, aliarumque gentium historicis comprobatum fuerit, idemque certissima omnium opinione, et fama totum per orbem divulgatum. Illi, inquam, in Aloisium rabie tabescunt; cumque religionem Christi de medio tollere statuerint, quae effraenatis eorum cupiditatibus adversetur, Regem in primis, qui fidei tanquam propugnaculum videant constitutum, interficere machinantur. Huc referendi libelli illi criminosi, qui Regem vel optimum, tamquam tyrannum crudelissimum insimulant, qui non nisi populi inopia, ac miseriis delectetur; tamquam leonem, qui in imbelles agnos impetu facto, eos disperdat, mactet, voret,

nec tamen unquam ingluviem expleat: huc redit crimen illud iniquissimum, Regis culpa esse factum, ut omnes aerarii publici opes exhaurirentur, (quod quidem assiduis superioribus bellis factum nemo non sciat): huc denique spectant illae seditionis faces, quae, undique conflato incendio, Regem omni auctoritate dejiciunt. O ingratos, o scelestos filios! Hanccine patris benevolentiae, et beneficiis gratiam refertis? Vos igitur, qui de existimatione, et fama adeo solliciti videbamini, non reputare, quod ceteras nationes de vobis judicium laturae sint, cum vos immaniores tigribus in Regem innocentissimum viderint? En quo tandem novae hujus philosophiae instituta recidunt, quae saeculum illud aureum a poetis confictum opipare se instauraturam pollicebatur! Jam procella omnium turbulentissima omnia involvit. Quemadmodum in illis vastis, arenosis, nudisque gignentium solitudinibus a Sallustio commemoratis, saevientium ventorum tempestate coorta, tanta arenarum conglobatarum vis excitatur, tanto impetu, tamque vehementibus vorticibus fertur, ut illac iter facientibus, quocumque se vertant, mortem intendat; haud secus in universa Gallia impiorum machinationibus tanta populi, ad flagitiosa quaeque projecta cupiditate effraenati, licentia, vel potius furor, tanquam tempestatis aestus, agitabatur, ut bonis omnibus, quocumque se convertissent, et Regi maxime, mors proponeretur. Quid faceret Aloisius? Si quidquid remedii tantis malis adhiberi potuit, frustra expertus est; si populi principes se se in pessimam libertatem vindicarunt; si ad Varsalicam villam, quo se se paene privatim recepisset, scelesti convolarunt, et militum praesidio interempto, omni ratione

violatum ad urbem inter debacchantium fremitus eum impulerunt; si vitam ipsam in discrimen jam adductam intelligit, quid consilii capiet? Christus ipse suos milites ita admonuit, ut si qua in civitate ad mortem quaerantur, ad aliam confugiant. Quare non timore aliquo, sed prudentia ductus, una cum familia Parisios reliquit, sibique apud exteras gentes domicilium perquirit. I, Rex optime, i tutus, atque securus. Deus, quem diligis, tuum iter fortunet; ubique tibi pateant viae. Quis erit tam impius, et sceleratus, qui te ab tyrannorum insidiis abeuntem audeat remorari? Quam gaudeo te ab illorum carnificum manibus elapsum! Quam timebam, quorsum evaderet tanta in te animorum furentium concitatio! Videbar jam illos videre armatos in te tuosque irruere, atque interimere. At, ehu! quid comminiscor? quidve sperem? Regem ab impiorum manibus posse effugere? Heu! jam ab adversariorum factione deprehensum, jam Parisios versus reductum cerno. Nec vero defuerunt, qui antiqua in eum fide, vel nova in ipsum miseratione, auxilio ipsi adessent, atque ex hostium manibus eriperent: aderant enimvero non pauci, qui gladiis, et tormentis bellicis vim repellentes, se ad periculum pro regis vita subeundum paratissimos pollicerentur. Ipse vero, qua erat incredibili vel in perduelles clementia, non est passus asserendae suae libertatis causa, in Gallorum suorum quemquam vim inferri, nec eorundem sanguine suam ipsius vitam redimendam censuit; seque perduellium dedit in potestatem. Spes igitur omnis, quae tam prosperum exitum ostendere videbatur, omnino disperiit. Nunc opus animo excelso, et constanti virtute. Eum porro fortitudine

singulari praeditum, ac sartum, tectumque admirabimur. Propugnaculum summo, asperrimoque montis cacumine exaedificatum, rupium ruentium crepidinibus, maximis operibus, fortissimisque militibus tutum, citius in unius imperiti, infirmique militis manus venerit, quam omnes, qui a Christo defecerint, aliquid perturbationis inferre Aloysio possint. Quam firma voce subscribere nomen iis decretis negavit, quae in Cristi sacerdotes impie, nefarieque efferebantur! Testes sunt parricidae ipsi, nullam se ejus vincendi causa rationem reliquam fecisse: quos carissimos, sibique conjunctissimos domesticos haberet, in foedissimos carceres conjecisse, atque illud Regi contestatos esse, nisi ea decreta rafaceret, numquam eos e vinculis evasuros. Quae quidem quam indigna, quamque gravia amantissimo Regi acciderint, quid me attinet dicere? Atqui crudeles postulationes eadem plane constantia ab se rejecit. Haec res in causa fuit, quamobrem impii multo acriori ejusdem sanguinis cupiditate flagrarent. nec ipsi id erat obscurum; quin perspicue intelligebat fore, ut haec constantia certissimo sibi, totique familiae exitio esset futura. Quod vero ad se, nihil sibi timebat, sed familiae. nec vero eam ob rem labefactatus a sententia discessit. Quod quidem tum maxime perspectum est, cum (ad ejus aedes effusa rebellium multitudine), nudato ipse sibi pectore, et furibundi militis manu apprehensa, atque ad latus deducta, et compressa, unde cordis pulsatio emicat, Accipe, inquit, utrum meum cor palpitet, aut ne tantulum quidem commoveatur. Sed ad majora mea jam festinat oratio. Aderat dies illa nigra, et ominosa, qua die vis illa ignis tartarei, quae plures annos quasi cineri sup-

posita latuerat, in magnum, ac terrificum incendium erumpere minabatur; cum Rex sorore, conjuge, filiisque comitatus excessit e regia, et ad procerum conventum se contulit, eorumque crudelitati se, suosque ea mente commisit, ut instans flammarum eruptio, vel suo, si fieri posset, et suorum sanguine restingueretur. O casum miserum, atque luctuosum! Rex maximus, cui antea tot hominum millia ad nutum praesto essent, nunc omni potentia, et auctoritate destitutus, perditissimorumque hominum furori obnoxius, eorum judicium expectat. Nemo tamen vestrum existimet, auditores, eum de gradu dejici, aut consternari. Habet, habet adjutricem Christi religionem, cujus vi firmum, stabilemque se se exhibet, omnesque minas, terroresque repellit; non secus, ac scopulus ex medio mari editus, qui altissimis subnixus radicibus, mole sua stat immobilis, ventorumque omnium, luctantiumque fluctuum impetum propulsat, atque perfringit. Christum Jesum intuetur, iniquissimorum judicum sententia damnatum; ludibrii omne genus, cruciatus acerrimos, mortem ipsam mira patientia perferentem, seque ad eum imitandum comparat, et cohortatur. Profecto mihi me gratulari, inquit, (ut ego quidem reor) et gaudere oportet, cui datum sit Christum ipsum imitari posse. si Iesus haec ipsa, atque adeo longe crudeliora servandi mei gratia perpessus est, cur me servum felicem, fortunatumque non duxerim, qui hanc, quaecumque sit, ignominiae, et doloris partem Regi meo queam rependere? Haec quidem horrida perpessu essent, si me in tantas calamitates mea culpa prolapsum sentirem: cum vero quae poenae sunt latronum et sicariorum, innocens subeam, magnam profecto consolationem capio, Deoque

gratias ago, cui visum sit me, quoquo modo, ad aeterni Regis imaginem informare. Hisce igitur armis se se munit, hisce cogitationibus tauquam lorica, et clypeo se se tegit. Expecto quid Galli in eum decernant. Si Aloisius non patris patriae loco habendus esset, qui fuit, neque is, qui vere est populi amantissimus, atque pacis; si non pro sua parte virili operam navasset, ut Galliam ad summum felicitatis fastigium eveheret; verum contra totis viribus rem publicam et privatam afflixisset, populumque ex alio in aliud bellum implicasset; tamen Gallos deceret, Aloisium revereri, et tot regum majorum suorum rationem habentes, qui pluribus saeculis Galliam beatissimam praestitissent, quique hostibus terrori, Galliae gloriae fuisseut, Aloisio, eorum gratia, vel nova et inaudita crimina concedere, atque remittere. Cum vero Aloisius sit rex omnium optimus, cui nihil magis curae sit, quam regni salus; quaenam erit Gallorum feritas, si quid paullo gravius in eum audeant constituere? Hujusce argumenti vim omnem sentiunt: tamen eum in carcere tota cum familia concludunt. tu vero, Rex invictissime, eandem oris hilariratem in vincula conjectus prae te tulisti, quam integra regali amplitudine, ac potentia prae te ferebas. Ubi primum, auditores, in carcerem pedem intulit, hisce eum verbis religionem allocutam censeo: Bono sis animo, Aloisi, me vide. Quae te jam inde ab adolescentia christianis virtutibus imbuerim, te ad aeternam beatitatem adipiscendam informarim, te tanquam exemplum regibus proposuerim, quae a te ne transversum quidem unguem discesserim; quanto aequius est a me nunc tuam constantiam ac fortitudinem invictam praestari? Ne dubites. Quae sit mea vis, quae

facultas jam tibi notum, exploratumque est. Haud tibi uni, aut regum primo in hanc arenam descendenti praesto sum. Adverte mentis oculos ad illum Daniae splendorem, Canutum regem. Inter armorum sonitus, et concitatae multitudinis tumultum, egomet mea manu sanctissimum regem ad Christi pedes in templum deduxi, ego ei vires, ego incredibilem fortitudinem addidi; ego rebellium gladiis objeci tanto divini spiritus ardore inflammatum, tantaque securitate ex ore, atque oculis conspicua, ut in eo confodiendo ipsae carnificum manus subito terrore contremuerint. Quod autem te excruciat, quod inter eos, qui ad tuum exitium conspirarunt, propinquum tuum sanguinis agnatione conjunctum cernis; aspice Wenceslaum Bohemiae Ducem, et Hermenegildum Leovigildi regis filium, alterum fratris, alterum sui ipsius patris inhumana barbarie necatum. Excesserunt illi quidem e terrestri regno telis, gladiisque confossi, caducamque, aliis optandam, coronam amiserunt; verum, me duce, pro terrestri, coelestis regni potiti, pro caduca, sempiternam coronam adepti sunt. Haec eadem te sors, et fortuna manet. Sume animos, et saevientis procellae impetum, portus jam proximi securus, contemne. Dum vero praemium adveniat, hoc interea tibi sit solatio, me nunquam tibi defuturam; teque mea vi suffultum, nihil unquam de solita fortitudine remissurum. Haec illi religio. Is vero hisce verbis ad certamina quaeque ineunda ita se sollicitat, ut vel mortem ipsam provocare videatur. Interea in universa Parisiorum urbe rebelles cum ex suapte ferocia, tum ex successu, furendi saeviendique occasionem, et vim nacti, ea perpetrant, quae in hominum animis ne cadere

quidem posse putarentur. Milites Romani cum Syracusarum urbem diu multumque circumsedissent, oppugnationes terra, marique frustra saepenumero redintegrassent, oppugnatorumque convicia, et irrisionum omne genus tulissent, tandem aliquando disturbatis vineis, moenibusque vi, et sanguine superatis, urbe potiti; etsi laborum, periculorum, conviciorumque memores, victoriaque tot parta hominum vita paene furentes, omnia ferro, igni, direptione, vastitate foedaverint; tamen id omne nihil ad furta, et scelera, nihil ad indignissimas caedes, nihil ad tetra flagitia, ac prorsus inhumana facinora, nihil ad sacrilegia nefaria, et nusquam gentium ex audita, quae Parisiis perduellium furor, crudelitas, impietasque adversus Deum ediderunt. Ut quemque libido invasit, alii ad Regis aulam contendunt, eamque bellicorum tormentorum ictibus petunt, vastant, incendunt; alii in divitum domos, alii in coenobia, alii in templa impetum faciunt, multa disperdunt, frangunt, corrumpunt, pleraque domum auferunt; puellas ac matronas ad foedissimam libidinem abducunt; religiosos viros, ac mulieres vexant, caedunt, crudelissimeque conficiunt; sacras vestes dilacerant; coelestium Heroum imagines ex aris deturbant, pedibusque conculcant, nec ab ipso Christi corpore, scelus! sacrilegas manus abstinent. Undique ex impurissima plebis fece conflati globi concursant, teterrima carmina concinentes, et Io Libertas conclamantes: undique faces scintillant, armorum fulgor perstringit oculos; fit puerorum, mulierum, bonorumque omnium fuga; nemini parcitur, non aetati, non generi; non frater fratri parcit, non pater filio, non filius patri; qui a Rege

stetisse feruntur, vulgo jugulantur; mulieres ipsae praegnantes exenterantur, horrente crediderim scalpro ipso; undique sanguis, ubique cadavera obtruncata, membratim caesa, atque discerpta, undique ululatus, lamenta, gemitus, ruentium tectorum fragor. Videres interdum, ubi hostem suum quis interfecit ac laniavit, ei pectus, ac ventrem ferro aperire, et cor, ac cetera viscera adhuc vitae reliquiis trementia, ac palpitantia raptim extrahere, et ad ignem tosta, lugente natura, ac vel feris ipsis aversantibus, avide vorare! O Galliam miseram, atque infelicem! quae tamdiu exemplum continentiae, et humanitatis habita fuerit, quamdiu Christi religionem ex animo tenuit, coluitque; en quo impia philosophia eandem perduxit! Iam haec Regi referuntur, jam ipse ex vinculis accipit, infixaque hastis miserorum civium capita e fenestris cernit; fremitus, imprecationes, minas exaudit. Soror, uxor, filii humi prostrati, terrore cohorrent. At Rex, licet tot innocentium morte, et suorum periculo perculsus, non modo nihil trepidat, sed ne oris quidem colorem immutat. O firmitudinem omnium saeculorum monumentis decorandam! Si a majorum suorum regia regalibus insignibus detractis, omnique auctoritate sublata, eum expulissent, atque ad statum locum ea conditione relegassent, ut certis agrorum finibus contentus, nullaque spe relicta ad solium redeundi, reliquum vitae spatium privatim transigeret, nec unquam ad Rempublicam accederet; Rex vero nullum ne indignationis quidem indicium dedisset; nonne per omnibus mirum visum esset, eum tantum infortunium aequo animo ferre potuisse? Quid, si non modo ejecissent e regia, sed etiam rebus omnibus spoliatum

e Gallia una cum suis exterminassent, ut qui nuper omnium mortalium ditissimus beatissimusque ferebatur, aliena misericordia sustentatus, aegre vitam producere debuisset, nec tanta calamitate fractus, aut perturbatus fuisset; nonne illum inaudita fortitudine armatum omnes censuissent? Quid porro nunc dicendum de sua virtute existimabimus, cum eum videamus a copiosissima rerum omnium, et omnigenarum divitiarum affluentia, ad miserrimam paupertatem; ab imperii suprema potestate, ad extremam abjectionem, atque contemptum; a regiis aedibus magnificentissimis tot saeculorum operibus coelo paene dixerim exaequatis, ad carceris angustias, et squalorem traductum, mortem certo expectare, una cum filiis, et uxore Mariae Teresiae filia, et Josephi II. sorore; et licet amoris ergo, pietate ac dolore sit paene confectus, tamen non commoveri, non conqueri, non indignari, non despondere animum; sed oculos, manusque ad coelum tollere, ac tantas calamitates tamquam praemia Deo referre accepta? nonne illum divina quadam patientia, ac fortitudine vallatum fateri necesse est? Quid illud? quantae fortitudinis est, atque constantiae? Dum sedet ad prandium, tumultus instauratur, profligatorumque hominum globus maximis clamoribus aures obtundit. Rex, quid hoc turbae sit, facile conjicit. virum quempiam, aut mulierem spectata in regiam familiam fide, obtruncari existimat, nec id temere suspicatur. Etenim ad fenestras, ut sedebat ex adversum, prospiciens, matronae caput hastae impositum cernit; nec clausi oculi, nec mortis pallor, qui faciem olim formosissimam occupat, nec sanguis, qui aureos crines commaculat, et guttatim defluit, im-

pedire possunt, quo minus ab eo Lamballis caput probe dignoscatur. Verum, ut Reginas (quae matronam illam multis nominibus unice adamasset) ad fenestras ne respiceret, reprimit se se, nullum edit doloris signum. Interea loci, ecce tibi unus audacissimus omnium militum, qui regiam familiam, ne forte dilaberetur, acerrime custodiebant, flammiferis oculis horridoque aspectu ad mensam accedit, ac Reginam terrifica voce compellans, En, inquit, Lamballis caput eo tibi ostenditur, ut ex ejusdem supplicio, quid tibi immineat facile possis augurari. tu vero, et vos omnes sic habetote: vos frustra, me custode, animum attendere ut fuga vobis consulatis. Regina vero simul ac illam, quam semper habuit fidelissimam, jugulatam intelligit, ad fenestras respiciens, simul videt, simul quasi ictu fulminis subito perculsa collabitur. Hic vero Rex et inhumanissimi post hominum memoriam militis intemperantissimam contumeliam, et conjugis carissimae casum miserum, et reliquae familiae luctum, atque terrorem invicta plane animi magnitudine perfert. tantum ad militem conversus; Tu vero, inquit tranquilla voce et quieto animo, aequius, ut hoc facinus Reginam lateret, consulere potuisses. Sic Rex, inter tot non perpessu modo, sed vel cognitu horribilia. Nonne haec prodigia illorum similia, quae olim Christi religionem in universum terrarum orbem protulerunt? Haec miracula fortitudinis in Ecclesia Dei nunquam deficient, et ad ultimam usque posteritatem, eandem religionem, belluis nequicquam frementibus, in suo gradu ac potentia retinebunt. Quod si quando Christus hujusmodi belluis catenas relaxat, et hanc identidem potestatem facit, ut Ecclesiam suam

morsibus petant, atque sancient, hoc equidem eo facit, ut eam majoribus in dies triumphis illustret, novisque semper argumentis sua vi stare demonstret. Quid enim? Ubi hae immanes ferae unguibus, dentibusque eam petiere, tantaque saevitia in eam grassatae sunt, ut omnino laceratam vorare visae sint; tum Christus catenas contraxit, tum eas ita constrinxit, ut vocem ipsam, atque animam intercluderet. Hisce feris in Aloisium saeviendi potestas facta. Quid proficient? Catholicae Ecclesiae assertoribus splendidissimum lumen addent, religionem sanctissimam magis, ac magis confirmabunt; ac luculenter ostendent, qui Christi virtute vigeat, eum eodem animo solium, ac supplicii tabulatum ascendere, eadem constantia ad sceptrum manum admovere, ac carnifici cervicem obtruncandam porrigere. Instaurent nunc in Aloisium quotquot unquam supplicia Romanorum Imperatorum barbaries in Cristianos invenit; vel hoc perficient, ut ipsius Neronis execrata crudelitas, praeut quae in eum edituri sunt, mitis ac lenis videatur; Christianum fortissimum offendent, qui nova eos afficiet ignominia: illud enim fateri necesse habebunt, quo eum pluribus acrioribusque tormentis obterere conati sint, eo magis nova illum usque fortitudine roboratum fuisse. Prohibeant a luce ipsa, atque spiritu; ne vestes quidem ad tuendum ab hyemis vi corpus suppeditent; scelestissimis militibus diu, noctuque eum obsideant, qui ab igne saeviente frigore arceant, qui conviciis, et maledictis proscindant, qui eodem semper in cubiculo quibusdam quasi clavis infigant, qui filios, conjugem, sororem, ipso inspectante, omnimodis excrucient; vix cibum ipsum necessarium praebeant: tamen eum si mi-

nus admiratione perculsi, at ita certe et rabie furentes, perspicere cogentur eandem semper animi aequitatem servare, hilarem, ac laetum mensae, utcumque instructae, assidere, tranquillum somnum capere, sacris libris perlegendis, precibusque ad Deum fundendis dare operam, ac nihil prorsus de instituta vivendi ratione commutare. Haec igitur, hisque longe crudeliora (ecquis enim illorum carnificum immanitatem verbis exaequarit?) forti animo fert Aloisius, et regiae dignitati eadem opera mirum in modum inservit. S. denique Ludovicum ad vivum exprimit, qui a Saracenis in vincula conjectus, religionis, et regiae personae dignitatem tanta animi, atque vultus constantia sustinuisse fertur, ut cum eum barbari colloquentem cum Sultano audissent, mentis altitudinem admirati, in hanc dubitationem venisse dicerentur, Gallorumne rex, an Sultanus Afris dominaretur. Quod quidem cum nequissimi illi Gallorum sicarii animadvertant, indignatione excandescunt, dolentque se se in illo operam perdere, nec illud posse efficere, ut Regis animus labefactetur. Cumque omnes praedicaturos intelligant, tantam virtutem non nisi a Christo, quem acerrime oderunt, in eum derivare potuisse; nova barbarie, inauditaque nituntur, ut constantem virum infirmare possint, inque desperationem dejicere. Itane vero? idne consilii? haecne contentio? Videamus quid excogitarint. Nihil sibi adhuc, inquiunt, timere illum potuisse? non debilitari? non frangi? nobisne, quos orbis terrarum, cui bellum indiximus; reges omnes, quibus mortem paramus, perhorrescunt; Regem e solio dejectum, et in carcerem detrusum non cedere? non supplicem prosterni? oris securitatem, atque

adeo dignitatem afferre? supplicium, ac mortem non formidare? minime gentium. Jam nobis certum est, quid illum deprimere, ac frangere tandem queat. Novimus, quo demum in loco stare non possit. Filios tanto amore complectitur, ut supra nihil; sororem uxoremque diligit, quantum plurimum potest. Horum consuetudine, assiduo congressu, colloquiis, officiis, carceris dolorem lenit. Ab ejus complexu divellantur; alium in carcerem ita conjiciantur, ut eorum prohibeatur adspectu, nec ullum ad se nuntium de iis sperare possit perventurum. Hic eum profecto lugentem ac desperatum habebimus. Quae nostra erit laetitia, quod gaudium, cum heroem hunc nostrum videre liceat, qui tantam animi aequabilitatem ostentare conatus sit, ab suorum complexu lacrimantem pendere, ne distrahatur supplicare, et lamenta cum lamentis muliebriter commiscere? Haec illi incredibili crudelitate agitare, atque perficere. Quis verbis enarrare posset, quo animo mulieres illae, ac filii tam funestum nuncium accipiant? quis posset assequi oratione, quo cum animi sensu omnes ad Regem impotenti naturae impetu ferantur? quanta vi amplectantur, miserabiliter ingementes? quam implicatis nodis eum teneant, vinciant, atque constringant? Quis referre queat mulierum, quis puerorum (qui non dicam lacrimis ac precibus, sed vultu ipso, ex quo pulcherrimarum animarum candor, atque innocentia emicat, vel saxa scopulosque emollierint) quis inquam, referre queat lacrimas, singultus, ejulatus, preces? Tantumne ferociae in hominibus dominari, qui non nisi humanitatem jactent? Dulcissima conjux, soror carissima, filii luce ipsa, ac vita cariores a marito

fratre, parente amantissimo eo quidem cum dolore distrahuntur, ac si membra a membris abscinderentur. Vereor, nec injuria, ut Regis animus sibi constet. sic enim natura ipsa comparatum est, ut vel fortissimus quisque, cum ad hujuscemodi certaminis, et dimicationis genus ventum sit, omni robore ac firmitate destituatur; *Nihil humani ab omni alienum puto*. Hem! quid ajo? quod nefas mihi ex ore elabitur? Sit hoc verissime de iis dictum, quos Christi virtus minime sustentat: quibus autem Christus opituletur, quae hos humana vis, quae infernarum potestatum rabies, qui cruciatus, quae supplicia loco movere, eisque vel unam tantum lacrimam queant excutere? Huc accedant, adsint frequentes rebelles, qui hoc sibi certo pollicebantur, Regem a suis dividi sine desperatione non posse, quique ex ejus sibi lacrimis, ac lamentis certissimum gaudium proponebant; huc accedant, videant, disrumpantur. Ipsi quidem si tanta rerum atrocitate premerentur, de fortitudine, quam tantopere magnificant, turpiter deciderent; nec se ullo pacto cohibere possent, quin sibi mortem consciscerent: id namque unum in aegritudine, et calamitatibus solatii genus, vel dolorum finem habent reliquum. at Aloisius religionis vi erectus, nihil plane commovetur. Ecquid magis admirationi esse queat, quam videre Regem; quem suavissimorum filiorum adspectus, joci, lepores, propinquorumque charitas in atrocissima calamitate tantummodo recreent; eundem, cum illi incredibili cum dolore ab ipso dividantur, nihil tamen queri, nullum gemitum edere, ne ullum quidem verbum minus pacatum ac mite sinere sibi unquam elabi? Hisce patientiae exemplis Aloisius carcerem nobilitat. O carcerem quibusvis regum

aulis illustriorem! o testem perfectissimae virtutis! o religionis propugnaculum, atque arcem! Videre jam videor coelestes nuntios in te descendere, te divino fulgore illustrare, te alis protegere, te districtis gladiis tueri, ut ne species quidem timoris ad offundendam tantarum virtutum splendori labem ullam, possit accedere. Videre in te videor Christum ipsum e coelo immigrare, et Aloisium monere, cohortari, divino amore inflammare, ei coelum ostendere, eique, ut mihi quidem persuadeo, id praestare; omnia a facinorosis conata, quibus religionem e Gallia tollere pro certo habent, ad nihilum casura; quin, tanquam sol tanto pulcrior exoritur, quanto nox fuit obscurior; haud aliter religionem splendidiori lumine ex tot acerbissimis casibus emersuram. Qnocirca quantas maximas ejus animus capere potest, ei gratias agit, quod indignationem, qua ex tam impie factis exardesceret, tot christianorum heroum, qui Galliam et illustrarunt, et illustrant, recordatione contineret. Etenim haud secus ac pientissimus Theodosius ille Imperator jam moriturus, magis de fidei procellis, quam de suae ipsius vitae discrimine laborabat. Hoc enim tamquam aculeo torquebatur. extimescebat, ne ob tantam plurimorum perfidiam, arbor illa coelestis, jam inde ab initio nominis christiani Christi manu in Gallia consita, in qua altissimas radices egisset, ingentemque ramorum, pulcherrimimis fructibus conspiciendorum, vim undique profudisset, radicitus divelleretur. Quo quidem metu liberatus tot rerum in angustiis gaudio triumphat. Age vero, qnae nova semper, et alia aliis acerbiora excogitent immanes belluae supplicia, consideremus. Teneo quid meditentur. Jam ei diem dicent; jam ad tribunal impiorum, qui et

judicum, et accusatorum munere fungantur, per summam injuriam abducent, injustissimisque criminibus insectabuntur. Rex igitur, ubi primum nuntium accipit, nulla interjecta mora, nulloque metu, ad scelestissimorum judicum tribunal se sistit. Cernon' ego, aut cernere videor? cerno equidem coelestem juvenem, regiae fortitudinis custodem, ei praeire districto gladio, eumque ita comparare, ut non modo ab oculis, ac vultu carnificum illorum non perterreatur, sed potius ipse illis terrori sit. Nulla jam ei spes salutis relinquitur. Jam certum est, in illo judicio nullam sibi justitiae rationem repertum iri, singularem innocentiam nihil admodum profuturam. Nec vero illum jam fallit. Nullam in saevissimis illis monstris, non dicam justitiae, sed ne humanitatis quidem particulam inveniet, perversi omnes pro se quisque, in eum conjurasse gaudebunt: veritas ipsa Regis verbis loqui videbitur, innocentissimumque praestare; quidquid ei crimini dabitur, vel uno verbo intrepidus diluet, inter se se accusatores pugnabunt; testes suis se verbis doli ac falsitatis coarguent; regis innocentia meridiana ipsa luce clarior fulgebit; nihilo tamen segnius ad sententiam in eundem ferendam, intercessoribus contemptis, ac repudiatis, qui comperennandum arbitrentur, se se alii alios concitabut. Ita nimirum factum est. Ubinam gentium hanc judiciorum rationem impudentissimi judices invenere! Atqui illud sibi persuadent, se orbi universo probare posse, Regem, judiciorum ratione religiose servata, fuisse damnatum. Tantane vos insaniae, et furoris vis abripuit, ut hoc cuivis, cuivis dico? an uni tantum homini vos probaturos esse speretis? Ullumne igitur ex omnibus vos hac

accusatoria forma, et judicio posse perfundere confiditis? Ullumne hominem usquam terrarum existere ita dementem existimatis, ut injustissimam sententiam vestram, effraenatamque crudelitatem non probe perspiciat? ut non sic habeat; nec Scythiam, nec Numidiam ullum unquam monstrum peperisse, quod vos immanitate vestra non longe multumque superaveritis? Dum justitiae stabit ullus honos, semper nomen vestrum etiam barbarae, inhumanaeque nationes inauditae crudelitatis nomine detestabuntur. Iam Rex cum per se se, tum vero per eloquentissimum oratorem, quo ad sui defensionem utebatur, certissimis, clarissimisque argumentis omni crimine liberatus est; tamen in eum sententia constituta. Malesherbius antiqua virtute senex, quicum Regi fuerat vetus consuetudo, ac familiaritas, dum res in consilio disceptaretur, regi promiserat, de ejus judicio, quodcumque futurum esset, eum se certiorem facturum. Itaque ad Regem accedit, ejusque ad pedes in genua prostratus, ingemiscens manus ejus apprehendit, ad manumque caput applicans, irriguis eam lacrimis madefacit, haeret miserabiliter, totis tremit artubus, ejulat, nullum verbum proferre potest. Cum Rex quo id valeret, statim intellexisset, eum erigit, aptisque verbis consolatur; se ad omnia jandiu paratissimum; tot atrocissimarum rerum seriem non alium, quam hunc exitum habere potuisse: se jam ab eo die, quo perduelles humana ac divina omnia polluissent, hanc sententiam longe prospexisse; nihil sibi novi accidere, nihil metuere, mortem in lucro esse. Enimvero quid tandem, auditores, expectatis? Horret quidem animus, meque in horribili narratione vox deficit. Capitis sententia rex in-

nocentissimus, deque Gallis optime meritus damnatus est. Nec vero ille sententiam hanc, cum ei de scripto recitaretur, minore animi fortitudine excepit. non palluit, non ingemuit: hoc unum sibi cordi est, sacerdotem sibi dari, a quo peccatorum veniam accipiat. Hoc eidem aegre conceditur: aegre inquam; cum tamen nemini antea vel perditissimo, cum sicariis, latronibus, homicidis petentibus hoc, vel solamen, vel praesidium non libentissime concessissent. Qua de re certior factus Christo gratias egit, quod antequam ex hac vita migraret, et labes expiare omnes, ejusdemque divinum corpus posset accipere; quibus se praesidiis ad supremum certamen fortiter obeundum communiret. Hanc quoque veniam petiit, ut regiae familiae ad se veniendi potestas fieret. Hoc illi ultro permittitur. sic enim secum illae tigres colligebant; nullo pacto, qualem se in priore a suis dissidio praebuisset, talem etiam in hoc postremo se praebiturum. omnino necesse esse, ut illam suam fortitudinem, animi consternatio desperatioque excipiat: tum enim nulla mortis suspicione tenebatur, sperabatque futurum, ut illos brevi intervallo rursus videret; nunc vero nulla ei spes reliqua est, se illos denuo visurum. quare tempus tandem adesse, quo tempore exoptata Regis desperatione, impotentique luctu ipsis gaudere liceat; qua quidem ex re majorem, quam ex ejusdem supplicio, se mercedem laturos. Itaque regia familia, inquiunt, ad regem in statum cubiculum introeat: claudantur quidem januae, at vigiles satellites e cristallis introspiciant, Regis vultum diligenter considerent, pallorem, lacrimas, querimonias ad nos referant. Haec illi. quid vero ego in illos? nihil admodum; de-

sunt enim verba, quae tantam ferociam commode execrentur. Ingreditur ad Aloisium regia familia. omnium vultus mortis miserrimam speciem objiciunt. Omnes ad Regem amplectendum ea vi, atque impetu feruntur, quo gravia, paene dixerim, corpora ex edito loco emissa in terram contendunt. Rex sedet: hinc Regina, illinc soror: filia pro facie patri adsidet: inter patris genua filiolus adstat; cuncti saepius se se ejus in amplexus demittunt; nullum verbum exauditur; praeter Regem omnes collacrimant, atque ingemiscunt. At Rex loquitur. Quem sermonem habere censendus est? Ego quidem, qui Dei plenus sit; atque in animum induco, sic suos alloqui: Per eum, quo me amore prosequimini, a fletu ac lamentis temperate. Qua me fortitudine Christus adauxit, nolite ei quaeso periculum facessere. Innocens morior. hoc vestrum sit solatium. Quod si vobis dolori est, vos solos relinqui; bono sitis animo, atque hoc consolamini, me vos sub Christi praesentisssimo patrocinio relinquere. Agitatum ergo animum componite, et quidquid mali impenderit, quidquid Deus constituerit, jucundum vobis accidat. Non estis nescii, illud tandem esse optimum, quod placeat Deo, omnia ad nostram salutem mira providentia temperanti. Non estis nescii, quos Deus aeternis gaudiis fruituros delegerit, hos omnes inter adversa, atque horrida exercitos voluisse, omnibusque Filium unigenitum praemisisse, quem sequerentur. Christum igitur, et ejusdem crucem intuemini. Hunc ducem, et hoc signum semper victoria consequitur. Haud hoc dissidium aeternum futurum. Vos in coelis revisam, singulisque advenientibus obvius ero. Quis sensus nobis erit? quo gaudio exanthlatos la-

hores recordabimur? Hanc Regem ad collacrimantem familiam orationem habuisse arbitror, filiolum vero gementem sic exclamasse, quemadmodum alias de illo est traditum: Verumne igitur, optimum mihi patrem ereptum iri? O impium facinus! O mi pater! sibi habeant perduelles, quae nobis universa abstulerunt: tantum mihi patrem meum unum relinquant. Sic existimo puerum illum amantissimum, patrem amplectentem, exclamasse. At enim, quis queat moestissimae illius familiae verba sensusque proferre! Ad duas paene horas colloquium, gemitusque producuntur. At Rex se se erigit; omnes simul assurgunt. parentes suavissimo filio lacrimanti manum admovent: regia filia sinistrorsum patris medium corpus brachiis vincit; Regis soror laevam ejusdem manum constringit. Sic parumper ad januam simul progrediuntur: singultibus, ac lamentis universa domus personat: parietes ipsi ingemiscere videntur. tantum illi satellites duriores lapidibus, laetitia gestientes terram insultant. Regia filia ad patris pedes corruit paene exanimis. Hic Rex tanto suorum luctui finem facit. omnes amplectitur; extremum eis vale dicit constanti, ac firmo ore, inque suum cubiculum se se recipit. Ite modo, infames sicarii, ite, renuntiate iniquissimae libertatis propugnatoribus, Regem ab suorum complexu sine ulla prorsus lacrima se se eripuisse, vosque imperterritum expectare, atque urgere, qui ad supplicium perducatis. Hinc perspiciant licebit, cum eo Christi milite sibi rem esse, qui quo majori vi appetitur, eo fortior evadit. Quod poetae verbo commentati sunt, Olympi cacumen altius ad coelum extolli, quam ut ad summum illud ulla tempestatum vis possit unquam pertinge-

re, hic re atque oculis usurpatur. scilicet Regis virtus, cujuslibet altissimi montis cacumine editior, inter nigrarum nubium globos, qui infra se omnia involvant, pulcherrima serenitate perfruitur. Divinus ille Veritatis Sol splendidissimis eum radiis e coelo collustrat, quorum omnipotenti acie perculsae tempestates, ac turbines disjiciuntur. Hoc victoriae genus in orbem terrarum Christus invexit. hae sunt victoriae, quas unas gentes omnes jure admirentur. Ut omnia a veteribus heroibus magnifice gesta, hisce comparata dilabuntur! Illi quidquid gessere, ambitione ac superbia gessere duce; at heroes christiani, Christi abjectione ac patientia aucti ac roborati, ardua quaeque perficiunt. Quare illi si res ex sententia cesserint, insolescere; sin minus, cadere statim animo: isti vero et prospera, et adversa aequabiliter ferre. Non enim quod Aloisius immiti animo fuerit, iccirco inter tot casus plenos doloris, ne lacrima ei quidem excidit; nullus enim unus usquam extitit, in quem haec suspicio minus conveniret: sed quia major erat vis, quae intrinsecus eum teneret, quam quae urgeret extrinsecus, ideo factum est, ut nihil prorsus conflictaretur. In quo quidem certe illorum constantiam aequavit, quorum sanguine se confirmatam religio nostra gloriatur. Posteaquam igitur Aloisius cum egregio sacerdote Frimontio aliquantisper, adveniente nocte postrema, commoratus est, sanctissimamque animam Poenitentiae Sacramento perpolivit, stata hora coenam sibi parari jussit, cibum cepit: nullum timoris vestigium. Cubitum deinde concessit, servum admonens, qui se matutina hora quinta expergefaceret. Vix dum in lecto decubuit, suavissima quiete usus

(quod de homine in diem posterum detruncando vix credibile habeatur), totam noctem placidissimo somno perfunditur. En tranquillitas, en securitas, quam nisi in vere christiano minime reperias. Quam vellem huc adessent quotquot usquam, omnium saeculorum memoria, domi, militiaeque floruerunt! Profecto exclamaturos censeo, ab hoc unius somno, omnes ipsorum vigilias, omnia vel praeclarissime gesta longe superata. Ad illum diem jam pervenimus, auditores, quo die sol teterrimi facinoris testis futurus exoriebatur; quod certe ne aspiceret, avertere se se, ac relabi voluisset. Rex qua hora expergefieri mandarat, se ipse e lecto corripuit, albaque veste se se induit, qui magni sibi triumphi diem adesse intelligeret. Sacro interfuit; Christi corpore recreatus est. Qui nunquam inter tot ac tantos terrores trepidarit, quid nunc facere debere putandus est, sacrosancto hoc fortitudinis pane confirmatus? Vis illa ignis coelestis, quae sanctum Ignatium incendebat, cum suis, scriberet, valde se timere, ne tigres, ac leones, quos in se impii emissuri erant, naturalem feritatem obliti, quod alias evenisset; ad suos pedes lapsuri essent innoxii: vis illa eadem divini amoris ita Aloisium inflammat, ut vereatur, ne ferae illae conscelerarorum hominum subita pietate mansuefiant, ne a se se ungues, dentesque abstineant, ne sibi corona triumphi pulcherrima auferatur. Itaque ad eos qui accedunt, se ad supplicium abducturi, ipse ultro obviam procedit securus exclamans, se praesto esse. Dum properat ad supplicium, forte eum offendit satellitem, cui paucis ante diebus in carcere (quod ille rigente hyeme, omne ad ignem spatium idcirco teneret, ut Rex caloris beneficio

prohiberetur) concitatiori voce edixerat, paulisper ut concederet... Fidesne habenda mihi, auditores? Atqui habenda est scilicet; res enim multis gravissimisque anctoribus memoriae prodita fuit, atque testata. Heus tu, inquit Rex perhumaniter: quod a me, sodes, illo die paulo gravius loco cedere jussus fueris, ut ignoscas oro. O animi aequitatem! o Christi heroe dignam precem! Rex olim vel potentissimus nefaria populi defectione in carcerem detruditur; inhumanis perduellium tyrannorum apparitoribus obsidetur. in his nescio quis importunissimus omnium Regi impedimento esse audet, ne saeviente bruma, proxime ad ignem accedat. Rex vero illi paulo iniquiore animo aegre se id ferre adsignificat. Nunc ad supplicium perductus, obvium habet hominem peramanter, ab eoque veniam deprecatur. Quid amplius, quid illustrius antiquos illos heroas praestitisse unqnam legimus, quorum de virtutibus memoriae prodiderunt vel historici, vel oratores? Hoc animo ad supplicii locum pervenit. Hic jam omnis eloquentiae vis deficit, auditores; nec ego, nec vos pati posse existimo, ut mea de ejus morte lougius progrediatur, vel accuratius immoretur oratio. Qua Rex animi magnitudine se mirabilem inter tot infandarum rerum tempestates praestitit, eadem moriens se se exhibuit mirabiliorem. E supplicii tabulato, iu conspectu multitudinis adstitit; Gallos suos circumspexit, quos semper unice amasset, atque amaret, inqne oculis gereret; populum dolore exanimatum, ejusque amorem et voluntatem erga se perspicuam, sed terrore repressam vidit. Profecto si eis verba fecisset, mutuumque amorem, beneficia, fidelitatem ad eorum memoriam revocasset, seque, et regiam fa-

miliam, vitam, ac regnum eorum potissimum fidei, virtutique commendasset, et ad parricidium vindicandum, justitiam tuendam, tollendamque e Gallica natione maculam illam provocasset; cui non certum sit, populum ad arma conclamaturum, rebelles interfecturum, Regisque vitam sanguine ipso conservaturum fuisse? At Rex etiamsi per impios licuisset, nihil tale unquam dixisset. Qui vero diceret? qui, cum ei olim in carcere Clerius suus hanc esse populi mentem significasset; Deus omen, inquit, procul avertat; id enim quolibet supplicio gravius mihi esset futurum. Haec itaque illius vox ultima: Innocens morior. Ad haec verba jam omnis multitudo commovetur. Quod cum parricidae haud dubiis indiciis animadvertant, militarium tympanorum strepitu Regis vocem obruunt. Is vero interritus, firmoque pede, caput securi subdit. Coelum aperitur, magnaque coelestium juvenum cohors, et eorum, qui pro Christo sanguinem vitamque projecerint, beatae animae obviam prodeunt, eamque ad aeterni Regis triumphum, atque convivium, ad sempiternam laetitiam, atque beatitatem, divina carmina rite concinentes, deducunt. Video jam S. Ludovicum in agnati dulcissimi amplexus devolare, eumque ad osculum suavissime excipere. Huc ades, inquit, fortissime Christi miles; propera ad coronam, qua te sua manu Christus ipse gestit redimire. Quamdiu tute inter illas aerumnas versatus es, tamdiu ad Deum preces profundere non destiti, ut tibi vires, et robur sufficeret, suaque virtute firmaret, quo victis tandem superatisque hostibus, eorumque exhausta crudelitate, ad hanc beatissimam quietem pervolares. Sic beata illa anima coeli potitur. Cujus

nunc esset tanta dicendi vis, tantaque copia, quae civium aliorum quidem dolorem, atque luctum, aliorum vero efferatum gaudium, insanamqne laetitiam apta oratione posset comprehendere? At vero inter omnes, qui gaudio, vel furore debacchantur, nescio quem aspicio conantem caeteros vultu, gestu, clamore in laetitiam effuso superare; quique unus omnium, cum Regis caput populo elatum carnifex ostenderet, avidis oculis miserrimum illud spectaculum subridens exhausit! Quidnam id monstri est? Novi hominem teterrimum: nomine illum usurpare perhorresco. Is est, quem non dicam minime omnium laetari oportuisse; sed ab crudelissimo spectaculo vel pietate, vel natnra, vel sanguine deterreri. O generis humani dedecus, atque infamiam! Rides, et exultas! An nescis, quantum terroris hoc gaudii sit consecuturum? Nonne vides quot furiae in te ex inferis convolantes, se se adglomerent? Impius ille Cain, qui fraternà caede maculatus totus pavore contremiscit, qui omnium occursum fugitat a quocumque sibi mortem metuens; qui vel ad perexiguae strepitum aurae, quae arborum frondes tantulum agitet, leonem in se praecipitem ferri putat; qui denique umbram ipsam suimetipsius corporis reformidat; ille ipse Cain haud tot furiis exagitatus fuit, quot mox te undique circumstabunt, te acerrime invadent, te discerptum, ac laceratum conscientiae stimulis torquebunt, meritumqne supplicium, quocunque fugeris, ob oculos ponent. Ex alia, ad aliam regionem profugus transibis; ex alia in aliam domum te proripies; latebras frustra conquires, quae tantum scelus occulere possint; diu noctnqne vox sanguinis illius alterius Abel te anxium, pavidum, tre-

mentem habebit; cibus tibi amarior felle videbitur; somnus te horridis visu formis perterrefaciet; vox illa ultima sanctissimi Regis, qua se innocentem mori, Dei hominumque fidem implorans, testatus est, tuis semper in auribus personabit, ac veluti gladius cor illud tuum immanissimum continenter confodiet; donec debito supplicio exulceratam scelere, formidine, desperatione impurissimam animam efflaveris. Nunquid ego desipio? nunquid tibi vana praedico? At res ipsa declarat, majus quiddam esse, quod te errantem, fugientemque persequitur, quam quantum verbis adumbrarim. Eum, auditores, cum terroribus suis relinquamus, et ad Aloisium revertamur. Jam ipsum sole ipso splendidiorem inter coelestes heroas incedentem conspicio, facilemque aurem precibus adhibentem, quas sui clientuli Numini deferendas effundunt. Profecto illi uni Gallia securitatem, salutemque debet; ejus enim precibus Deus fulmina illa inhibuisse credendus est, quae in miserrimum illud regnum erat jaculaturus. Tanquam si effractis, dejectisque aggeribus, qui propter Hollandiae litus praelongo tractu maris impetus sustinent, atque repellunt, immensa fluctuum vis in subjectas regiones irrumperet, vastissimasque planities repente invaderet, homines, armentaque obrueret, villasque, urbesque a sedibus deturbaret suis; haud secus disjectis munitionibus, quae omnes nationes tot injuriis lacessitas, tot rapinis direptas vix dum cohibuisset, innumera belligerorum populorum multitudo undique Gallias perditum ire pergit, hinc terra, illinc mari; jamque omnes provincias tenet et, incolarum ferociâ exasperata, omnia luctu, vastitate, incendiis complere minitatur. Iam illa ipsa urbs

Parisiorum, superatis, revulsisque operibus, quibus nulla vi nullaque arte expugnabilis est habita, victores intra sua moenia undique irruentes excipit, ac, ni omnia quieta atque tranquilla offendant, paratos ferro, atque igni universa vastare; Scythas praesertim, qui Moscham incensam recordantes, ad faces convolare, urbemque inflammare gestiunt. cum Aloisius, qui (ut mihi quidem certum est) nimia adversus patriam charitate mortem subierat, ab eodem ipso amore admonitus, ad aeterni Regis pedes, patriae salutem adprecatum, supplicem se prosternit, tantaque vi, tanta contentione eum exorat, ut dispulsa formidolosissima tempestate, magna Galliam repente serenitas hilaret, et Aloisius XVIII Rex desideratissimus ei rursus patrio in regno restituatur. Quo in loco res Galliae modo essent, ni Rex ab impiis jugulatus, precibus ad Deum profusis, tanto periculo subvenisset? Quae natio se caeteras omnes triumphorum gloria superasse praedicet, caeteris omnibus ludibrio foret sempiterno. Hoc quidem omnes Galli sentiunt, nec diffitentur. Ego vero hoc unum potissimum addam: Quamvis Galliam tot, tantisque inauditis facinoribus, ac maxime quidem injustissimo optimi Regis supplicio, omnium saeculorum memoria male audire; immo, ut verius dicam, nationum omnium execrationem subire oporteat; tamen hanc tantam infamiam admirandis unius Aloisii XVI. virtutibus prorsus tegit; atque hoc uno nomine, quod ad religionis splendorem hunc heroem protulerit, ejusmodi gloriam adipiscetur, quae nec tantorum, adeoque horribilium scelerum continenti usurpatione nequeat obliterari. Itaque hoc quidem omnes Galli volentes libentesque fatentur, eoque majori

Aloisium suum amore prosequuntur. Converte nunc oculos, Aloisi, ad Galliam tuam. aspice ut omnes civitates ad Fratris tui solium testificationes illius doloris afferant, quo tum sunt affectae, cum te in carcerem conjectum, et capitis damnatum acceperunt. Aspice ut circumquaque sanctitatis tuae monumenta proferantur, quo Divi Petri Successor, Ecclesiae Dei gloria et decus aeternum', Pius VII, te illis accenseat, qui pro Christo mori non dubitarunt! Aspice quanto gaudio omnes exultent, quod maximus ille Pontifex, qui luculentissimo in Christi fidem testimonio Galliam nobilitavit, te publice *Martyris* nomine appellarit. Quid vero mentis erit Galliae universae, cum diem illum concelebret, quo te in coelestium heorum album relatum intelliget? quo amore ad aras tibi dicatas concurret! Hic, inquiet, hic novus Galliae custos, atque tutela; hic ille, qui tanto in patriam studio exarsit, ut Regis Borussiae, qui ei praesidio profligatis hostibus commodum veniret, litteras plenas amoris dederit, eum majorem in modum obsecrans, ut si se amaret, ab Gallia decederet; hic ille, qui ut ne sanguis sui populi effunderetur, regia carcerem commutavit; qui incredibiles aerumnas quinque ipsos menses admirabili patientia exsorbuit; quique in illo religionis, aequitatis, fortititudinis, charitatis plenissimo testamento, de quo nulla unquam posteritas conticescet, veniam omnibus amplissimam largitus est, felicitatemque precatus; tum filium monitum voluit, ut, si Rex esset futurus, omnibus ignosceret; exemplum nempe Jesu Christi, et omnium, quos ipse informavit, secutus: hic Aloisius ille, qui pro morte, qua eum divini et humani juris osores affecerunt, o-

mnibus securitatem, pacem, salutem, vitam impertit. Sic omnes ad aram tuam lacrimantes colloquentur. Quam vero libenter illo die ipse quoque Parisiis adessem! quo cum animi sensu in carcerem illum etiam nunc tuis vestigiis impressum introirem! quibus lacrimis inspergerem! quo affectu oscularer! quae vota pro Aloisii Fratris tui salute susciperem! Verum saltem hoc postremum, si minus una cum Gallis, at certe ubicumque consistam, mecum ipse praestandum existimabo: incensas tibi adhibebo preces, teque obtestabor; ut felicitatem, et maxime veterem in religionem amorem Galliae concilies tuae, et Fratri Regi optatissimo incolumitatem vitamque diuturnam exores; quo Gallia et cuncta Europa diu pace, qua summopere indigeant, perfruantur; et Christi religio, illo regnante, qui et nuncupatur, et vere est Christianissimus, in sua se jura possit vindicare.

FINIS.

ERRATA					CORRIGE
Pag.	16.	lin.	13.	ra-	rata
"	29.	"	23.	*omni*	*homine*
"	27.	"	7.	comperendandum	comperendinandum
"	"	"	24.	concitabut	concitabunt
"	39.	"	27.	cohibuisset	cohibuissent